



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Opis imploratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## Indignata sequi torquentem cornua mitram.

A quippe cum Taurus plurimum terrenum animal sit, terra & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus vim eam ostendere videbatur, quam Sol in univerfam terram exercet. Quod autem extraheretur ex antro, delitescere vim ejus in terræ visceribus indicabat, quam ut evocarent, & frugum fecunditati consulerent, sacrificii genus id instituerunt, de quo etiam in Leone. Neque quidem alia de causa Bovem quandam ab Argo tot luminibus prædito custoditam fabulantur, nisi ut terram ipsam ostenderent noctu ab ipso coelo tot stellarum luminibus insignito, non indiligenter observari, donec à Mercurio, quippe à Sole conficiatur, cujus oriente jubare, stellarum lumina passim extingui videantur. Quid autem aliud portendere visus est Bos ille arator, qui decussio jugo triclinium,



B in quo cenabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris quasi repente defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit, nisi terrarum orbem amarissimo Vitellianæ dominationis jugo pressum, opem à gente Flavia deprecari, quæ jam rerum esset potitura? Terram itaque Bos eo ostento præ se tulit.

## OPIS IMPLORATIO. CAP. XIV.

Hæc autem opis imploratio per Bovem facta, adducit in memoriam alteram Scytharum more, bovillo interveniente corio, factam: apud eos enim opis & auxilii imploratio fieri solebat: mactato Bove, in corio cujus, qui opem sibi afferri ab amicis posceret, rejectis in tergum manibus testabat: qui verò auxilium pollicerentur, dextero pede corium calcabant præfati quantum præstare possent, quem morem late scribit Lucianus dialogo de amicitia, cui titulus *Toxaris*. Et quod ab hoc fertur de Homolottorum sacrificio, qui fœdera sancientes Bovem in minutissimas partes dissecabant, etiamnum durat, apud eosdem Scythas, qui oram inter Tanaim & Phasim accolunt, nunc Cercasios appellatos, eos non nulli Ziccos esse volunt: hi autem si gravem aliquam injuriam acceperint, imploraturi amicorum auxilium Bovem mactant, pelleque detracta & humi distenta, in eaque sedentes, carnibus Bovis in minutissima frustra divisis, partem unicuique adveniendi porrigunt: quique accipiunt, ita se eo fœdere devinctos intelligunt, ut se, fortunamque suas omnes parati sint exponere pro amici, qui viscerationem hanc fecerit, injuria vindicanda.

## FRUGUM OPULENTIA. CAP. XV.

Qui verò Boves juncti in numo Vespasiani jam Imperatoris & Cos. v. habentur, atque alii simili-  
 ter jugati in C. Marii C. T. numo, nimirum arationis partes procuratas, & rei frumentariæ commo-  
 da declarant: nam & apud conjectores, uti superius dictum, arantes Boves imaginari, lætissimam  
 prænuunciant frugem, & opulentiam rerum felicitatem. Quin & nomen Bovi à nutriendo factum.  
 D *βῶν* quippe nutritio: labore enim suo in exercenda terra continuo nos pascit. Hinc Græci *βῶν* agriculturam  
 vocant, quibus *ὄρε* agricultura est, & Bovis etiam epitheton.

## JUSTITIA. CAP. XVI.

Quoniam verò ipsa frugum opulentia sæpe sub justitiæ vocabulum cadit, eaque de causa Gentes legitime Cererem appellarunt: longe convenientius Divinæ literæ per Bovem eos intelligunt, qui justitiæ jugum trahunt, bonisque & frugalibus operibus laborem suum intendunt. De quibus Paulus citat illud ex Mose: *Non alligabis os Bovi trituranti*, quod & mox ita declarat: *Nunquid de Bovibus cum esset Deo? an propter nos utiq; dixit, quia debet in spe qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi?* Et Hierosolymit. Hefychius plerisque; Divinarum literarum locis Bove poni pro homine ait, *1. Cor. 9. 9. Dent. 25. 4.*